

tas id faciendi ex aequitate competit. Quemadmodum igitur sublato licet formularum abusu, usus permanfit, ut aptam rei & negotio conuenientem actionem ac petitionem exceptionemque litigantes proponant, vel certum agendi fundamentum exprimant, ut natura actionis, intentio actoris & ius agendi inde percipi possit, ita nullum plane est dubium, quin is, qui apud romanos ius dixit, nullo non tempore non quidem actionis *libello*, sed tamen *actioni*, quae in ipso libello siue per huius declarationem, ante litem contestatam factam, ab actore in iudicium deducta est, cuncta attemperare eique sufficienter probatae, nulla ab eo, cum quo agitur, exceptione, per quam eam perimere quiuerit, obiecta (l), congruentem & ad commodatam sententiam, secundum aequi bonique rationem, ferre obstrictus fuerit. Quamobrem, licet iudici, cui omnium rerum, quae in iudicio versantur, officium incumbit (m), ex *animi sui sententia*, siue *aequitatis conscientia*, scripto iure satis informata (n), varie, ex personis & causis constituere (o), pluris etiam, vel minoris condemnare (p), rem non solum restitui, iuridica significatione pronunciare, sed &, si deterior facta sit, eius rationem habere (q), nec non loco rei petitaee reum ad aestimationem eius damnare (r) licuerit: minime tamen

(l) L. 9. D. de R. V.

(m) L. 25. §. 8. D. de Aedil. Edict.

(n) L. 21. §. 3. D. de testib.

(o) L. 38. D. de R. V.

(p) L. 37. D. de V. S. L. 44. D. de Hereditat. pet. L. 2. §. vlt. D. de eo quod cert. loc.

(q) L. 13. D. de R. V.

(r) L. 22. D. de Reb. Cred. L. vlt. C. de condit. insert.